

1511 tas ei traderent, quæ illum Anconam adducerent sub Maximiliani signis: aut, si id ipsi negaretur, sub Julii. Iis de rebus consulto Senatu, dare obsides non placuit, ne reipublicæ dignitas, cuius fides nullo tempore ullis principibus defuisset, minueretur: reliqua facile concessa. Quod cum Pius intellectisset, de eo literas ad Maximilianum dedit, atque in urbe, quid is rescriberet, operiri se se velle dixit. Etiam Thomæ Strigoniensi Cardinali bene de republica merito ex Pannonia Romam profici-scenti triremis, qua in triremi Anconam adveheleretur, tradita: missusque ad illum Vincentius Guidottus Senatus scriba cum muneribus reipublicæ nomine salutandi eum causa.

Post hæc Hieronymi Saorniani perceleri ad urbem adventu Patres certiores facti sunt, reipublicæ exercitum Clusam & Venzonium cepisse: isque illos multis de rebus admonens statim ad exercitum rediit. Alia ex parte a Maximiliani copiis Cadoræ captæ atque incensæ sunt. In urbe autem a Senatu decima cum medio censu civibus imposita. Atque illis diebus Augustinus Maurocenus Helvetiorum interpres itinere devio propter Gallorum suspiciones, qui loca omnia custodiebant, ad Patres missus, eis proposuit, statuisse Helvetios ab Italia Gallos expellere: itaque velle eos primum omnium Venetis auxilio esse, ut postea conjunctis opibus illos facilius ejicient, modo ipsis a republica commeatus, tormenta, & equites quingenti tribuantur: eas tantum res satis Helvetiis ad bellum gerendum futuras: ipsos ad hoc jam signum illud explicuisse, sub quo Carolum Sequanorum ducem vicerant, atque interfecerant ante annos paulo minus quinquaginta. quod signum nunquam postea explicuerant Helvetii. Cumque dies esset majorem in modum pluvius, aperto in æde sacra signo serenitas mira illuxit: quod quidem illi optimum in omen acceperunt, omnia ipsis e sententia successura. Is etiam, quod in familia ejus nominis esset, quod maxime celebre apud Venetos est, amicum esse reipublicæ, cupereque illi omnia se ostend-